

aut nulla habeat dona, irrogenitus excellentia, cujus tamen impietas publicè nota non sit, plus ædificare hunc quam illum, non immeritò creditur.

*Diss. XLIII.*

De

## Magistratu Politico.

I.

**O**Mni Magistratui, etiam infideli & heterodoxo; vi mandati Divini & conscientiae parendum est, Rom. XIII. 1.

II. Inde qui subditos vinculo liberat obedientiae, haeretico magistratui praestandae, Anti-Christi notam aperte incurrit, quae est, efferre se super id, quod est & dicitur DEUS, II. Thess. II. 4.

III. Magistratui exercitio tyranno vi resisti non debet. Rom. XIII. 2.

IV. Clerici naturali & Divino jure ab oneribus magistratui pendendis exempti non sunt. Rom. XIII. 1. 7. Matth. XVII. 27. Quamquam gentium etiam more aequum est, privilegio exemptionis eosdem gaudere. Gen. XLVII. 22.

V. Magistratus imperium immediate est à DEO, non à populo, majestatem radicaliter possidente. Prov. IX. 15. Rom. XIII. 1. Est enim magistratus vicarius DEI, non populi, Rom. XIII. 4. Sap. VI. 5.

VI. Cum Reges non à DEO esse dicuntur, abusus potestatis, non potestas ipsa à DEO removetur. Os. IX. 4.

VII. Cura verae religionis in rep. introducendae, in eaque conservandae, ipso naturali jure ante omnia caetera magistratui incumbit, quod qui negant, gentilibus sunt detestabiliores.

VIII. Vera autem religio non est nuda morum doctrina, ut Tolerantes in Angliâ & Belgio somniant, sed mysteriorum Divinorum notitia, Joh. XVII. 3. Quae illa destituta cadaveris instar vitae & spiritu destituitur.

IX. Quos in Rep. haereticos leges fundamentales & pacta

pacta